



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

Symbolum XC. Musæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

SYMBOLVM XC.

Musæ.

Ex Variis.

Ethicæ.

1. Musarum Præsidium & oblectamentum. 2. Literarum utilitas.
3. Literarum iucunditas. 4. Cur Musæ in montibus habitent.

DE his sat multa dicta sunt, cùm de Pieridibus ageremus: Nunc ne Palladis celeberrimum gynæceum præteruisse videamur, addenda sunt quædam, quæ scire iuvabit Musarum Clientes. De etymo variant Scriptores. Plato in Cratylo ἀπὸ τῆ μῶσαι nominatas putat, hoc est, ab *inquitendo*. Alii Musas nuncupari volunt, quasi *μοῖσαι*, *simul existentes*, quòd inter disciplinas similitudo sit, & quasi cognationis vinculum, quòd inter se omnes junguntur, & copulantur. Sunt etiam, qui Musas appellatas existiment ἀπὸ τῆ μῦθῶν, quod significat, bonâ, honestâque disciplinâ instituere. *Novem* communiter esse dicuntur, quibus hæc nomina imposita sunt. Primam à suavitate vocis ἀπὸ τῆς κάλλιπης ὀπὸς vocant *Calliopen*, & heroïco carmini præesse existimatur. Secunda *Clio*, à gloria & celebritate rerum gestarum, quas canit, nam κλείειν, *celebrare* est: vel ἀπὸ τῆ κλῆσις, propter *gloriam*, quæ doctis obvenit. Tertia *Erato*, cuius nomen deductum est ab ἔρωτος, *amore*. Vel quòd docti amentur, vel quòd cantus ab omnibus desideretur, aut quia mollia canat & amatoria. Alii putant appellatam ab *interrogando* & *respondendo*, id est, ἐρωτᾶν καὶ ἀποκρίνεσθαι; hæc enim duo maximè conveniunt disputantibus. Quartam à voluptate cantûs nominant *Thaliam*: θάλλειν enim *virere, germinare, florere* est. Nam doctorum laus semper virefcit. Ei Comœdias attribuunt. Quintam *Melpomenen*, à Græco, μέλτεσθαι, quod est, *canere seu modulari*; unde & Tragœdiis præsidere putabatur; vel quasi μελέτην ποιούμενη, id est, meditationem facientem aut requirentem; meditata canentem. Sextam *Terpsichoren*, παρὰ τῆς τέρπειντος χορῆς, à delectandis choreis; unde à quibusdam dicitur *Citharistria*. Septimam, *Euterpen*, à suavitate concentûs, quasi *benè delectantem*. Latine *Iucunda* potest vocari. Eadem *Tibicina* nuncupatur, & pe-

& peculiariter tibiaram cantui præesse creditur. Octavam, *Polyhymniam*, à *multitudine cantûs*: sive *Polymneiam*, à magnitudine *memoria* nominant. *Historia* illi attribuitur, quòd multarum in ea rerum sit *memoria*; *lyraeque* præfecta putatur. Nonam *Vraniam*, quasi *Caelestem*, vel à caelestium rerum cantu, vel à cantûs divinitate appellant. Alii aliter atque aliter has Musas explicant, ipsisque nomina & officia pro arbitrio & libertate poëtica affingunt. Earum inventa, munia, numerum, numina *Ausonius* complexus est his versibus:

Clio gesta canens, transactis tempora reddit:
Melpomene tragico proclamat mœsta boatu,
Comica lascivo gaudet sermone *Thalia*:
Dulciloquos calamos *Euterpe* flatibus urget:
Terpsichore affectus cithara movet, imperat, auget.
Plectra gerens *Erato*, saltat pede, carmina, vultu:
Carmina Calliope libris heroica mandat:
Vranie cæli motus scrutatur, & astra:
 Signat cuncta manu, loquitur *Polyhymnia* gestu:
 Mentis *Apollinæ* vis has movet undique Musas.
 In medio residens complectitur omnia *Phœbus*.

Ethica.

I. Audiamus *Mythologum* lib. 7. c. 15. de Musis. Hæ, inquit, deæ magnum sunt in adversis rebus solatium, & non leves illecebræ ad res honorificas: cum ab illegitimis voluptatibus, & ab omni libidine nos revocent. (a) Harum munus fuit, militum animos per carmina inflammare in bellum: harum, viros bonos in calamitatibus consolari: harum, præclara facinora, & res gestas decantare, ut eorum imitatione cæteri mortales ad virtutem incitarentur; quippe quòd illæ cantilenæ in antiquorum conviviis adhiberentur. Tanta verò fuit antiquorum cantorum modestia & temperantia, ut neque inter *procos* quidem *Penelope* turpia aut lasciva canerentur: quamvis essent juvenes ad omnem libidinem, omnemque intemperantiam maximè propensi: sed canebatur apud hos reditus Græcorum in patriam laboriosus ac perdifficilis. Harum igitur cantilenarum & cantorum, & Poëtarum, Præsides Musæ putabantur, quarum dux creditus est *Apollo*, unde & *Musagetes* dictus. Musarum filii, illi appellabantur, qui tanta ingenii, scientiæque præstantiâ

Z z z

valebant,

(a) Musarum præsitum est oblectatio.

valebant, ut divinitus è cælo demissi, inter homines viderentur. Hæc Natalis Comes. Nimiùm latus se campus hîc explicaret, si vellemus de Musarum, id est, Litterarum varietate, oblectatione, fructu, gloria differere. Nam si ullo in argumento usurpari potest illud Ciceronis: Pleni sunt libri, plenæ sapientum voces, plena exemplorum vetustas; id enim verò in Musarum laudibus apparet. Memorabile comprimis est, quod de Pyrrhi, Epirotarum Regis annulo, traditur à Solino; cuius gemma achates erat eò naturæ artificiò, ut distinctè Apollinem citharam tenentem, Musasque novenas, suis singulas cum insignibus, & lineamentis exhiberet; quâ se specie Rex non armorum magis (nam adversus Romanos præclarâ cum laude bella gessit) quàm Musarum cultorem profitebatur. Est autem achates tam generis varii gemma, ut unum lapidem esse non credas: candidus, rubens, croceus, cinereus, viridis, niger, cæruleus: verbo omnium gemmarum colores includit. Atque huic lapidi rectè confertur Musarum ac Litterarum mira varietas & amœnitas, in qua Poëtarum, Historicorum, Rhetorum colores ad certamen usque luxuriant. Ciceroni *Mansuetiores* Musæ dicuntur, quæ à forensi contentione remotæ sunt. Ab Homero Musæ nominantur *Ὀλυμπιάδες*, quòd in cælo, utpote Jovis filia, sedem habere credantur: & suos Clientes (quod Horatius canit: *Musa calo beat*) ad Superos evehere. Hinc idem Poëta Od. 4. lib. 3.

Descende cælo, & dic, age, tibiâ,
Regina, longum Calliope melos.

II. (b) Hinc discere, quanta illarum felicitas sit provinciarum & civitatum, in quibus periti, probiq; magistri suppetunt ad juventutem bonis moribus, & litterarum studiis imbuendam. Quod contra hostes sunt valla & propugnacula, hoc adversus incitiam & barbariem sunt Musarum domicilia, in quibus quotannis uberes proveniunt segetes virtutis ac sapientiæ. *Multitudo Sapientum*, inquit Regum Sapientissimus, *Sanitas est orbis terrarum.* Ælianus scribit, cum maris imperium tenerent Mitylenenses, sociis, qui desciscabant, hanc pœnam imposuisse, ut liberos suos non docerent litteras, neque artes liberales; hoc suppliciorum omnium gravissimum judicantes, in incitia & ignorantia artium liberalium vitam transigere. lib. 7. c. 15. Et Pausanias tradit in Bœoticis, Heliconem montem singulari quadam foli bonitate commendari, cuius etiam passionibus serpentum venena infirmentur. Nimirum litteris ni-

hil

(b) *Litterarum utilitas.*

hil est foecundius, aut amabilius, quibus non ruditas tantum animorum, sed vitia quoque & permotiones pravae sedantur. Seneca ad Lucilium epist. 16. Litterae animum formant & fabricant, vitam disponunt, actiones regunt, agenda & omittenda demonstrant: sedent ad gubernacula, & per ancipitia fluctuantium dirigunt cursum.

III. (c) Hunc litterarum fructum egregie explicat disertissimus Muretus, orat. de laud. lit. Litterae, inquit, nos ubi primum firmiter incedere, atque articulatius loqui coepimus, de ipso propè nutricum acceptos sinu, titillatione quadam honestissimae voluptatis alliciunt, allectos praeceptis saluberrimis complent: non tantum bene dicendi, verum etiam bene vivendi commonstrant vias: excitant in animis nostris igniculos gloriae: quantus sit in virtute splendor, quanta in vitiis deformitas edocent: quae qui semel penè penitus imbiberint, ii nunquam non postea & vitii turpitudinem omni studio refugient, & officii, honestatisque rationem rebus aliis omnibus anteponent. Amœnum est, quod de Musarum beneficio ac gratia Caussinus memorat in Symbolis historicis, lib. 3. c. 26. Comates inquit, in Sicilia heri divitis servus pecora pascens, consueverat nonnunquam Musis aliquid de gregibus domini offerre. Id cum rescivisset herus, duriter servulum increpat: Orat Comates, ne succenseat, fore enim, ut Musarum beneficio omnia cumulatè reddantur. At dominus, age, inquit, experiamur, an Musae sint te nutricaturae; & servum in arborem excavatam inclusit, atque ab eo recessit relicto, ut fame moreretur. Exactò annò cum ad eum locum rediisset, Comatem vivum atque incolumem invenit, & multum favorum in arbore, unde victitarat. Apes enim in eam arborem per rimas penetrantes, suaviter illum aluerunt. Adeò non perit, quod Musis & viris litteratis impenditur. Hæc ille. Atque ut Comates alumnum Musarum repræsentat; ita herus ipsius paradigma præbet hominis sordidi, & litteras exosi. Reperias enim Eucliones, tam nummis divites, quàm ingenio & doctrinâ inopes, qui plus curæ impensæque in pullum insumunt equinum, bene pascendum, quàm in filium liberalibus artibus imbuendum. Jacturam putant & profusionem, si instituendo puero alatur pædotriba; cum tamen bubulcis suis, & caprariis, & porcariis stipendia solvere non graventur.

IV. (d) Neque frustra Parnassum & Heliconem, montes in caelum erectos, inhabitare dicuntur Musae. Nam ad eruditionem aspiranti, anhelandum est in ardua. Sicut nemo timidus trophæum statuit:

Zzz 3

sic

(c) Litterarum dignitas & Voluptas. (d) Cui Musa in monte habiteat.

sic nemo ignavus, *Musarum*, quod dicitur, *ianuas apertas* habuit. Ar-
cem incolunt in sublimi positam, à cuius ascensu absterrentur quàm plu-
rimi; quippe qui propter pigritiam vitant laborem discendi, & tamen
ambiunt honorem inter Musas regnandi. Juxta adagium: *Non omnes
qui habent citharam, sunt citharedi*; Sic non omnes, qui nomen à stu-
diis præferunt, sunt studiosi. In quos illud Persii torqueas:

O curuæ in terras animæ, & cœlestium inanes!

Conspici vultis & suspici, & tamen alta Musarum scandere perhor-
rescitis. Ubi illud Taciti, lib. 4. annal. *Optimos mortalium altissima
petere*. Præclarè solertissimus morum & literarum magister Seneca epist.
104. Magnanimos nos natura produxit, & ut quibusdam animanti-
bus ferum dedit, quibusdam subdolum, quibusdam pavidum; ita no-
bis gloriosum & excelsum spiritum, quemadmodum enim flamma sur-
git in rectum; jacere ac deprimi non potest, non magis, quàm quie-
scere iste noster animus. Et hoc est, quod Musæ montana incolant; adiri
volunt; sed per clivosa & ardua. Abeste hinc prophani: abeste pi-
gri, quos, ut sapiens loquitur: *sua occidunt desideria*. Proverb. 21.
Quorum vita diffluit otio, & sese inter inutiles cogitationes ac curas
dilabendo consumit. Aliter vel ipsi pueri, qui interrogati, cur tam
diligenter incumbant in literas, respondent: *ut ascendant*. Quisquis
aliter sentit, hunc tu à Musarum sede procul arce, & inter operas me-
chanicas, sudore vultûs, manuum callo lucellum extundere jube. At
ne prohibeas ad has deas propius accedere, quem videris sordido sub
pallio scintillas ingenii fovere: neque enim rarò prodit è seg-
mentatis cunis simia in purpura; & ab aratro
venit indoles Musis nata.



SYM-